

IN DAMASCII PLATONICI DE ORBE LACTEO DISPUTATIONEM A IOANNE PHILOPONO RELATAM ANIMADVERSIONES

Ioannis Philoponi in Aristotelis Meteorologicorum librum primum Commentarii editionem consilio et auctoritate Academiae Borussicae paratam Damascii de orbe lacteo sententiae in illo commentario enarratae examinandae causa cum nuper evolvissem, editorem diligentissimum textui Philoponi, qui qua sorde et caligine obrutus usque ad haec tempora iacuerit, haud ignorat qui umquam partes eius ab Idelero filio in Aristotelis Meteorologicorum editione exhibitas perlustravit, et recensendo et emendando egregie operam dedisse nec tamen nihil posterioribus curis reliquisse intellexi. Quod cum ad ipsum illum locum, quem recte intellegere certam quandam ob causam mihi cordi est, attinere viderim, quibus ille difficultatibus premi et quomodo ex eis extricari posse mihi quidem videatur magis ut hominum doctorum de ea re opiniones si possim eliciam quam ut ipse quid sentiam dicam, nunc exponere mihi propositum est. Qua in re id inprimis mihi tenendum videtur ut pessimam esse Philoponi litterarum memoriae condicionem sic ipsius scriptoris diligentiam haud parvi esse aestimandam. Itaque aliquid plane obscurum et distortum eum scripsisse qualia edidit Hayduck in p. 117, 38: καὶ τίς αὐτῆ παρὰ τὴν τῶν λοιπῶν θεῶν, διαστέλλειν ἔχρην, καὶ μὴ φωναῖς ἀσήμοις θεολογεῖν, φενακίζειν δὲ μᾶλλον minime veri simile iudicare possum atque mihi quidem prudentius videtur verba memoriae prodita leviter mutata sic exhibere ut quid significant intellegi possit: καὶ τί ταύτην παρὰ τὴν τῶν λοιπῶν θεῶν διαστέλλειν ἔχρην καὶ μὴν φωναῖς q. sq. 'et quid hanc a ceterorum deorum [prudencia] distinguere oportebat atque profecto vocibus obscuris theologorum more agere vel potius praestigiare?'

Pertinent haec ad ipsum Philoponi de Damascio iudicium, quem etsi laudat, quod orbem lacteum non ut Aristoteles in aere,

sed in summo caelo esse iudicabat, tamen vehementer vituperat, quod cum argumentatione solida et constanti eaque a physicorum rationibus repetita nugae theologorum orbem esse orbem lacteum et in eo animos purgari fabulantium coniunxerit. Quam sententiam, cuius auctorem Damascius habuerit Empedotimum, (de quo cum longum sit disputare nec id ad ea quae hic sunt agenda attineat, nunc dicere supersedeo,) Philoponus πρὸς λέξιν ut ait enarrat p. 117, 8 sqq.

Τούτοις καὶ τοῖς τοιοῦτοις τὴν περὶ τοῦ γάλακτος ὑπόθεσιν Ἀριστοτέλους ἀνελών καλῶς ὁ Δαμάσκιος τὴν Ἐμπεδοτίμου περὶ τοῦ γάλακτος οἰκείουται, ἔργον¹ αὐτὴν οὐ μῦθον καλῶν. φησὶ γάρ ἐκεῖνος ὁδὸν εἶναι ψυχῶν τὸ γάλα τῶν τὸν Ἄϊδην τὸν ἐν οὐρανῷ² διαπορευομένων. καὶ οὐ θαυμαστόν, φησὶν ὁ Δαμάσκιος, εἰ καὶ ψυχαὶ καθαίρονται ἐν τούτῳ τῷ κύκλῳ τῆς ἐν οὐρανῷ γενέσεως, αὐτὸν δὲ τὸν κύκλον οὐράνιον εἶναι θεῶν διακόσμησιν ὁμολογητέον.

De verbis τῆς ἐν οὐρανῷ γενέσεως recte dubitavit Hayduck, sed minus recte praepositionem διὰ ante τῆς excidisse coniecit. Errare librarii potius in eo, quod τῆς pro τῷ scripserunt: purgantur animi in illo circulo caelesti secundum Damascium genitura, i. e. maculis societate cum corpore in terris inita conceptis.

Descendere enim animos in genituram et ascendere rursus a genitura Platonicus docebat et quomodo in illo descensu et ascensu afficerentur, Damascius ipse exposuit in eo libro quem scripsit de primis principiis II 255, 5 sqq. Ruelle: cum una esset cum melioribus, animum se ipso perfectiorem esse, cum una cum deterioribus, eum se dividere et multiplicare circa illa et ut corpus eius immortale numero maneret idem, sed modo magis modo minus rotundaretur et modo luce divina, modo maculis genitricibus (κηλίδων γενεσιουργῶν) impleretur, sic ipsum animum manentem quod esset mutari per se et a se.

Deinde levius quoddam vitium, qualia innumera in libris mss. inveniuntur, inest in voce οὐράνιον, pro qua scribendum est οὐρανίον, cuius rei rationem afferemus, postquam quae se-

¹ [ἔργον posuit editor ex Lobeckii coniectura, cum tradatur ΑΡΓΟΝ. Pro quo vide ne scribendum sit ΛΟΓΟΝ, sicut l. 27 ad haec respiciens dicit Ph. μῦθον ὡς λόγον κυρῶν ἀληθῆ. Br.]

² τῶν ἐν Ἄϊδι τῶν ἐν οὐρανῷ libri, corr. Lobeckium secutus Hayduck.

quantur verba haud mediocribus, ut mihi quidem videtur, mendis obsita examinaverimus.

Caelestium igitur deorum ordinem (διακόσμησιν) esse illum orbem confitendum esse dicit, εἴτε κατὰ τὸ γάλα τῆς Ἥρας ὑποστᾶσαν, ὡς φησιν ὁ μῦθος (διὸ καὶ πρὸς τὴν ἀναγωγὴν τῶν ψυχῶν οἰκείως ἔχειν, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ μυθευόμενον ὡς οὐκ ἄνεισιν ἀπὸ τοῦ κόσμου ψυχὴ μὴ σπῶσα τοῦ Ἡραίου γάλακτος, ὃ ἐστὶν εἰ μὴ τύχη τῆς ἐν τῷ γάλακτι τούτῳ κεχυμένης προνοίας αὐτῆς τῆς θεοῦ), εἴτε καὶ ἄλλον τρόπον διακοσμηθεῖσαν τὸν θεοῖς ἐγνωσμένον. εἶναι δ' οὖν τοῦ οὐρανοῦ τινα διάθεσιν ἀφθαρτον, ἀστρώσαν, μικρῶν ἀστέρων πυκνότητι γαλακτίζουσαν.

Fabulam hanc de orbe lacteo ex lacte Iunonis nato, quam hoc loco spectabat Damascius, Philoponus iam antea p. 115, 16 sqq. et exposuit et refutavit. Est autem haec: Minervam Herculem infantem olim Iunonis dormientis uberibus clam admovisse, unde simul bibisset immortalitatis particeps fieret. Qui cum per vim suxisset, illam dolore commotam omne ex uberibus lac expressisse (ἀθρόον ἐκσπάσαι τῶν μαζῶν sic codex alter et ed. Aldina idque recte, ἀ. ἐ. τὸν μαζὸν cum codice altero Hayduck), quo diffuso orbem illum ortum esse. Quam explicationem duas ob causas Philoponus reprobat, quod neque perpetuo lac dispergatur nec semper idem numerus animorum et ascendat et descendat. Quae posteriora quo pertineant, e textu commentarii qui hodie est minime perspicitur. Cuius misere dilacerati lacunam recte indicavit Hayduck in linea 16, sed nescio an praeterea quoque inter verba τοῦ γάλακτος ἔξακοντισθέντος τοῦτον γενέσθαι τὸν κύκλον et οὔτε γὰρ τὸ γάλα διηνεκῶς ἔξακοντίζεται οὔτε ὁ αὐτὸς ἀεὶ τῶν ψυχῶν ἀριθμὸς ἄνεισι τε καὶ κάτεισιν haud pauca exciderint. Certe fuisse apparet qui hanc fabulam sic interpretarentur, ut animorum eandem esse substantiam atque orbis lactei dicerent, quippe ex quo et originem et immortalitatem traxissent, ut, sicut est in Somnio Scipionis, illinc profecti illuc reverterentur. Quorum tamen in numero non fuisse Damascium videbimus, quamquam ipse quoque animos inde mentis quandam facultatem sumpsisse arbitrabatur. Distinguendum igitur est inter fabulam quandam de orbis lactei origine et narrationem illam Empedotimi nec Empedotimus vel, ut rectius dicam, qui hanc narrationem composuit Heraclides Ponticus (v. Rohde, Psyche p. 385 sq.) idem illam fabulam invenit, sed Heraclidem in suum usum eam convertisse ex eo apparet, quod totum hunc locum

Philoponus his verbis concludit: ταῦτα πρὸς λέξιν Δαμάσκιος τὸν Ἐμπεδοτίμου μῦθον ὡς λόγον κυρῶν ἀληθῆ, ut omnia quae praecedant Philoponus inde sumpsisse credendus sit. Offendo autem in verbo σπῶσα, quod et per se parum apte cum ψυχῇ coniungitur et propter falsum tempus tolerari non potest. Quamobrem cum infra, l. 37, scriptum sit ψυχῇ μὴ πιούσα, idem hoc quoque loco scribendum videtur.

Quod autem dicit ἀνεισιν ἀπὸ τοῦ κόσμου ψυχῇ, quaeritur et unde et quo animum ille ascendere dicat. Mirum enim est, quod simpliciter dicit τὸν κόσμον, quem alio loco in duas dividit partes (τοῦ κόσμου δύο τὰ γενικώτατα μέρη ὃ τε οὐρανὸς καὶ τὸ ὑπουράνιον ἅπαν ἢ τό γε ὅσον ἀθάνατον καὶ ὅσον θνητὸν I 116, 23), cum alio quattuor inter se distinguat mundos τὸν νοητὸν, τὸν νοερὸν, τὸν ὑπερκόσμιον, τὸν ἐγκόσμιον (I 235, 14), ita ut partes illas duas his posterioribus duobus mundis respondeant. Animi igitur descensus, prout de universis mundis aut de duabus illis partibus cogitatur, aut a mundo intelligibili aut a summo caelo initium capit, et cum usque ad terras animus descendat, ascensus eius qui idem est reditus, ab infimo fit mundo, quem ἐγκόσμιον eundemque sensibilem et sublunarem appellat (ὃ μὲν νοητὸς ὀλικώτατος, ὃ δὲ αἰσθητὸς ἢ ὃ γε ὑποσέληνος μερικώτατος I 235, 18). Hunc ergo, quem alias accuratius τὸνδε τὸν κόσμον dicit (II 317, 2) hoc quoque loco intellegi necesse est. Nam quod orbem lacteum πρὸς τὴν ἀναγωγὴν τῶν ψυχῶν idoneum esse dicit, certe noluit dicere animos inde etiam in superiora ascendere, cum hunc orbem ipsum sphaerae inerrantis, i. e. summi caeli, esse vellet, sed πρὸς τὴν ἀπὸ τοῦ κόσμου ἀναγωγὴν i. e. ad reducendos animos eum aptum esse arbitrabatur, quia priusquam ad nascendum ruerent (πρὶν ἂν πέσωσιν εἰς γένεσιν) inde facultatem postea rursus in superiora ascendendi nacti essent.

Quid vero, quod idem animos in orbe lacteo purgari neque tamen in eo commorari voluit, quia ea esset eius orbis substantia, ut id fieri non posset?

ψυχῶν δὲ ὀχήματα, φησί, λέγειν οὐκ εὐλογον τῆς συστάσεως αὐτοῦ λαμπρᾶς οὕτω καὶ ἀστροειδοῦς φαινομένης, καὶ αἰεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἐχούσης. διὰ τί δὲ μὴ μάλλον δαιμονίων ψυχῶν, διὰ τί δὲ μὴ πρῶτον θεῶν; ἀπὸ θεῶν γὰρ ἄρχεσθαι δεῖ καὶ ταύτην τὴν ιδιότητα. ἄλλως τε εἰ ἐδείχθη μέρος ὧν τοῦ οὐρανοῦ, πῶς οὐκ ἂν εἴη θεὸς καὶ θεῶν πλήρης, ἅτε τὸν ὀρῶμενον συμπληρῶν οὐρανόν;

Pro δαιμονίων ψυχῶν Aldina, i. e. codex antiquissimus Laurentianus (v. Hayduck, praef. p. V adnot. 1), habet δαιμονίων ἢ ψυχῶν, quod quamquam non recte scriptum esse apparet, tamen non est praetereundum. Apud Hayduckium propterea nihil ponderis ea lectio videtur habuisse, quod infra Philoponus cum ipsa verba Damasci repetere videtur p. 118, 21 haec habet: διὰ τί δὲ ἀνθρωπίνων καὶ μὴ δαιμονίων ψυχῶν ὁδός, διὰ τί δὲ μὴ πρῶτον θεῶν; at vides Philoponum non anxie vestigia Damasci premere eiusque verba potius interpretari quam reddere. Si vero ea recte interpretatur, de quo minime dubito, scribendum est: διὰ τί δὲ μὴ μᾶλλον δαιμόνων ἢ ψυχῶν; Si enim δαιμονίων ψυχῶν scripsisset Philoponus, non debuit pergere διὰ τί δὲ μὴ πρῶτον θεῶν, sed θείων, neque postquam ψυχῶν ὀχήματα orbem lacteum dici vetuit Damascius, eundem δαιμονίων ψυχῶν esse affirmare potuit. ψυχᾶς enim hoc loco non generaliter, sed hominum dicit et distinguit inter ψυχᾶς, i. e. homines, δαίμονας, θεούς.

Sic enim, ni fallor, ratiocinabatur Damascius: animi humani cum sunt purgati, non amplius sunt quod erant; mens secreta est ab anima et sola restat: διεκρίθη ὁ νοῦς τῆς ψυχῆς I 159, 10; τὸ ἀθάνατον τοῦ θνητοῦ ibid. 30. Atque haec quoque nescio an huc referre liceat: ἡ ψυχὴ κατιοῦσα μὲν εἰς γένεσιν προβάλλεται μυρίας ὄσας ζωάς . . ., ἀνιοῦσα δὲ ἀναστέλλει μὲν ταύτας καὶ συναιρεῖ καὶ ἀφανίζει, ἴστησι δὲ αὐτὴν κατὰ τὸ ἠνωμένον ὡς μάλιστα καὶ ἀμέριστον (II 253, 23 sq.).

Quod igitur Heraclidae concessit ὁδὸν εἶναι ψυχῶν τὸ γάλα, id postea restrinxit et quomodo accuratius intellegendum esset explicavit. Quae autem addit: ἀπὸ θεῶν γὰρ ἄρχεσθαι δεῖ καὶ ταύτην τὴν ιδιότητα, eis respondent quae leguntur II 230, 26: πᾶσα ιδιότης θεόθεν ἄρχεται. Sunt autem plura deorum genera secundum diversas διακοσμήσεις vel τάξεις, i. e. mundi partes, de quibus diximus: τῶν ἀρχικῶν θεῶν οἱ μὲν οὐράνιοι καλοῦνται, οἱ δὲ χθόνιοι, οἱ δὲ μέσοι (II 219, 12). Οὐρανίων igitur θεῶν διακόσμησιν cur scribendum esse affirmaverimus quae sit causa iam vides.

Qui cum impleant hunc ordinem, id quod in extremo legitur, participium συμπληρῶν in συμπληρούντων mutatum ad id quod praecedit θεῶν referendum esse apparet. Cf. quae a Damascio de dis quos ἀπολύτους vocat disputantur II 214, 13: ἀπολύτους δὲ αὐτοὺς εἶναι λέγομεν, ὡς προνοοῦντας μὲν τοῦ παντός, οὐκ ἐνδεδεμένους δὲ αὐτοῦ τῆ φύσει οὐδὲ συμπληροῦντας αὐτό.

Quod autem dubitat Damascius, utrum ex lacte lacteus qui dicitur orbis constet an alio quodam modo conformatus sit, in eis displicet quod alium illum modum τὸν θεοῖς ἐγνωσμένον dicit. Atque hoc quoque librariorum errore factum esse, ipsum autem Philoponum scripsisse putaverim: εἴτε κατ' ἄλλον τρόπον διακοσμηθεῖσαν τοῖς θεοῖς ἐγνωσμένον. Hac autem de re cum nihil affirmaverit Damascius, sed id unum statuerit esse orbem lacteum caeli quandam constitutionem incorruptibilem, corrigendum est εἶναι δ' οὖν in εἶναι γοῦν.

Ex eis quae disputavimus si quid commodi ad sententiam Damascii intellegendam redundaverit, ut id facilius perspicui possit, totum locum quem exposuimus talem qualis nobis constituendus videtur iam legentium ante oculos proponere licebit:

καὶ οὐ θαυμαστόν, φησὶν ὁ Δαμάσκιος, εἰ καὶ ψυχὰι καθάιρονται ἐν τούτῳ τῷ κύκλῳ τῷ ἐν οὐρανῷ γενέσεως. αὐτὸν δὲ τὸν κύκλον οὐρανίων εἶναι θεῶν διακόσμησιν ὁμολογητέον, εἴτε κατὰ τὸ γάλα τῆς Ἥρας ὑποστάσαν, ὡς φησὶν ὁ μῦθος, (διὸ καὶ πρὸς τὴν ἀναγωγὴν τῶν ψυχῶν οἰκείως ἔχειν, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ μυθεύμενον, ὡς οὐκ ἄνεισιν ἀπὸ τοῦ κόσμου ψυχὴ μὴ πιοῦσα τοῦ Ἑραίου γάλακτος, ὃ ἐστίν, εἰ μὴ τύχοι τῆς ἐν τῷ γάλακτι τούτῳ κεχυμένης προνοίας αὐτῆς τῆς θεοῦ,) εἴτε κατ' ἄλλον τρόπον διακοσμηθεῖσαν τοῖς θεοῖς ἐγνωσμένον. εἶναι γοῦν τοῦ οὐρανοῦ τινα διάθεσιν ἀφθαρτον, ἀστρώσαν, μικρῶν ἀστέρων πυκνότητι γαλακτίζουσαν. ψυχῶν δὲ ὀχήματα, φησί, λέγειν οὐκ εὐλογον, τῆς συστάσεως αὐτοῦ λαμπρᾶς οὕτω καὶ ἀστροειδοῦς φαινομένης καὶ αἰεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἐχούσης. διὰ τί δὲ μὴ μᾶλλον δαιμόνων ἢ ψυχῶν, διὰ τί δὲ μὴ πρῶτον θεῶν; ἀπὸ θεῶν γὰρ ἄρχεσθαι δεῖ καὶ ταύτην τὴν ιδιότητα. ἄλλως τε εἰ ἐδείχθη μέρος ὢν τοῦ οὐρανοῦ, πῶς οὐκ ἂν εἴη θεὸς καὶ θεῶν πλήρης ἅτε τὸν ὀρώμενον συμπληρούντων οὐρανόν;

His pauca addere liceat de loco quodam vicino, cuius emendationem inchoavit Hayduck neque tamen absolvit. In eis enim quae sequuntur p. 117, 39 sqq. καίτοι γε Πλάτων οὐδὲν εἶναι τὴν Ἥραν <ἦ> τὸν ἀέρα βούλεται, nescio an non solum ἢ post Ἥραν, sed etiam ἄλλο post οὐδὲν supplendum sit. Sed certe quae ea sequuntur vehementer perturbata sunt: εἰ γὰρ συνεχῶς, φησὶν (sc. Plato, Cratyl. p. 404 C), ἐπισυνάψεις τὸ Ἥρα ἐπικαταλαμβάνοντος τοῦ Α τὴν ἀρχὴν τὸ ἐξῆς τοῦ ὀνόματος, τὸ ἠ' γίνεται ἀήρ, εἰ καὶ συντομώτερον ἐν ὑπερθέσει τοῦ Α τὸ Ἥρα γίνεται ἀήρ. Verba τὸ ἐξῆς quia desunt in

altero codice (exstant in altero et in Aldina) omisit Hayduck, atque τὸ ἐξῆς false scriptum esse apparet. Tamen ἐξῆς an praetermittere non liceat dubito. Nam Ἡρα cum deinceps identidem ita pronuntiatur, ut ultima eius littera cum sequentibus litteris iungatur, duo existunt nomina, quorum alterius prima littera facta est A. Scribendum igitur videtur τοῦ ἐξῆς ὀνόματος. Pro ἡ cum suo iure Hayduck restituerit Ἡρα, tamen molestissimum alterum illud τὸ Ἡρα γίνεται ἀήρ ferri non potest. Quo una cum εἰ ante καὶ delete, omnia sic optime procedunt: εἰ γὰρ συνεχῶς, φησὶν, ἐπισυνάψεις τὸ Ἡρα, ἐπικαταλαμβάνοντος τοῦ A τὴν ἀρχὴν τοῦ ἐξῆς ὀνόματος, τὸ Ἡρα γίνεται ἀήρ, καὶ συντομώτερον ἐν ὑπερθέσει τοῦ A.

Wilmersdorf.

P. Corssen.